

V C.
3071



h. 26



h. 26, 17.

Vc
3071

DE
SERENISSIMO CHRISTIANISSI-
moq; principe a heroë, Domino
CHRISTIANO I.
DUCE SAXONIÆ, ET LEGENDIS
Imperatoribus Romanis Septemviro:
patriæ Patre,

ORATIO SOLENNIS

*Habita Lipsiæ, in conventu celebri, loco Amplissimo
ædis Paulinæ, in Augustissimam D. Principis memoriam*

Die XXV. Mens. Septemb.

Anno Christi MDCXII.

A

M. JOHANNES CLINGERO S.S. Theo-
logiae Bacculario, & inclyti collegij Philosophici
adessore.



LIPSIÆ,

Excudebat Valentin. Am Ende.



21

18. 5. 23.



ILLUSTRISSIMIS AC
CELSISSIMIS PRINCIPIBUS
AC DOMINIS

Dn. JOANNI PHILIPPO laudatissimæ Lipsien-
sium Academiae hoc tempore RECTORI Ma-
gnificentissimo.

Dn. FRIDERICO,

Dn. JOANNI VVILHELMO,

Dn. FRIDERICO VVILHELMO,

Ducibus Saxoniae, Juliae, Cliviae, & Montium,
Landgravijs Thuringiae, & Marchionibus Misniae,
comitibus de Marca & Ravensburg, Domi-
nis in Ravenstein,

*Principibus ad summa quæq;, omnium expectatione,
natis: Dominis suis Clementissimis:*


In spem generosæ virtutis, votumq; felicis ac faustæ
in eadem maturitatis:

*Hanc de Serenissimo, Potentissimoq; Dn. CHRISTIANO
I, Saxoniae Electore &c.*

ORATIONEM EXEQUIALEM

Submissa & humili compellatione dedicat

M. Johannes Clinger Lipsiens.



PARENTATIO D. CHRI-
STIANO I. SAXON. ELECT.

D. XXV. Septemb. currentis
anni facta.



I quid unquam huic Academiae nostrae, imò patriae universae, Magnifice Dn. Rector, Academiae proceres Amplissimi, & universa concio honoratissima, Dei inclementiâ ereptum fuit, quod merito, atq; optimo iure lugendum esse videretur: id profecto nobis accidit anniversario hoc die, Septimo Calendar. Octobr. quo ante annos, unum & viginti virum principem omni laude, omniq; genere virtutis abundantissimum, Divum Christianum primum Electorem; non peregrinum aut alienigenam, sed hereditarium Dominum; non in hanc terram aliunde nuper ascitum, sed antiquissimâ gente Saxonica multisq; clarissimis Majorum imaginibus florentissima natum; non mediocri cognitione rerum & usu, sed incredibili sapientiâ, & experientiâ multiplici ac variâ prae ditum; tanto universi populi, bonorumq; omnium ejularu vita defunctum novimus.

Cum enim ita sit à natura comparatum, ut in privatis rebus adversis, & secus ac speraveramus cadentibus omnes magnoperè mereamus; tum in ijs praecipue, quas ad publicam & totius Imperij salutem atq; incolumitatem pertinere certum est, non tantum sapientissimus

Anno Christi
1591.

quisq̄, sed etiam communiter omnis hominum multitu-
do majorem in modum tritari consuevit. Nam illud cum-
etis ferè gentibus persvasum est, neminem unquam ma-
gnum & prastantem virum nisi quodam quasi fato deces-
sisse, neq̄ casu aut fortuito, sed Dei ipsius voluntate
atq; providentiâ, qui religionis & regionis clavum
ac gubernacula teneant, mori solere. Quare non
sine justissima causa, cum excellenti virtute viris Res-
publica privatur, confestim mentes omnium immen-
so quodam mœroris dolore afficiuntur & complentur. Vi-
dent enim ac sentiunt, ut talium virorum, donec vixerunt,
sapientiâ prudentiâq̄ tam placata & tranquilla fuerunt o-
mnia, ut in terris & hac mortali conditione, quoad fieri
potuit, beatissimam illam coelestium vitam, non tantum
imitari, sed etiam repræsentare quodammodo visa sint;
ita ipsdem extinctis, futurum, ut omnes violento quodam
quasi oestro, impetu libidinum ad flagicia incitentur, & in
omne vitium precipites ferantur, homines violenti, omnia
sanda nefandaq̄, malo furore permisceant.

Qua cum ita sint, nemini mirum accidere debet, si
hac indignâ nostri hujus Electoris morte tam contristata
& percussa est universa regio: ut non tantum homines
ipsi, sed etiam expertes rationis animantes, & muri
atq; parietes ipsarum urbium, & deniq; res omnes
etiam sensu carentes inusitatam quandam atq; infini-
tam mœstitudinem præ se tulerint. Tanta fuit enim hujus
principis, quem defunctum, ut vivum, veneramus, &
cujus memoria gratissimâ jucundissimâq̄ recreamur au-
toritas, tanta virtus, tam singularis prudentia; ut longe
plura nobis de hoc, si Deus vitam ipsi prorogasset, bona

polliceri

polliceri potuissemus, quàm de quovis alio, terra unquam hæc reportarit.

Itaq; debet unusquisq; nostrum, ad lugendum, mentem, animum, linguam excitare. Quod enim præstabilius aut pulcrius nobis munus eripi poterat, quàm hic, & pius, & sanctus, & ipsi Deo similimus Dux Elector? Mortuus est igitur is divino permissu, cujus diuturniorem vitam omnibus votis omnes exoptabant; cujus vitæ prolongationem uno consensu, atq; unâ voce deposcebant; cujus diuturnius regimen optimus quisq; maximè cupiebat. Mortuus is, qui Christianam pietatem tueri, religionem & regionem amplificare, divina atq; humana rectissimè tractare noverat.

Mortuus deniq; is est, qui totam hanc regionem ac patriam suam semper propriâ vitâ chariorem habuit: qui omni semper conatu nixus est, ut eam non modò salvam, sed etiam longè florentissimam videret: qui labore, ac vigiliantia suâ jam in plurimis & maximis rebus perspectâ & cognitâ nihil earum rerum prætermisit, quæ ad sanctissimum Ducem, & optimum Patriæ Patrem spectare videbantur.


Ut autem hoc tantum boni, tantum jucunditatis & gaudij soli Deo optimo Maximo, bonorum omnium auctori, ferre acceptum meritò ac jure debemus, qui voluit hac in re patriæ nostræ, cui eo maximè opus esse, quâq; toto animo id expetere intelligebat, benignè gratificari: ita tantum mali, tantum molestiæ & mæroris, quod ex ejusdem privatione & interitu pullulascit, eidem Deo peccata nostra gravissima, quibus indefinenter eum offendimus, ulciscenti debemus. Sed ut eò melius appareat, quam gravis causa lugendi hunc

principem subsit, quod non ita pridem in ornandâ virtute duorum principum laudatissimorum Mauricij & Augusti, nostrâ oratione tentavimus; id etiam hoc tempore pro virili nostrâ parte, in pertexendâ historiâ factorum magnanimi & inclyti ducis CHRISTIANI I. conabimur, breviter eque de posthumis ipsius laudibus chronologico potius, quam oratorio more dicturi. Ante verò quàm hoc faciam, ad vos Magnifice Dn. Rector, Academiae proceres Amplissimi, & universa concio honoratissima, me convertò, & vos, ut ad exiguum tempus huic meae oratiunculae, sicut facere instituistis, benignas deinceps quoque aures vestras accommodetis, rogo.

Fortes creantur fortibus: & bonis
Est in juvenis, est in equis, patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam

Oratius lib.
4. Carmi-
pum Ode 4.


canit Poëta. Ut enim malis prognati, etiamsi non peccens, tamen venenum habent; non aliter ac scorpium non tantummodo cum ferit, habere aculeum putandus, sed semper observandus est: ita è contrario de virtutis origine ac splendore pleriq; sentiunt, veterem nobilitatem, illustremq; generis prosapiam, præcipuam virtuti & famam & dignitatem conciliare, ipsamq; vim animi generosam à parentibus in sobolem, à majoribus in nepotes unâ cum sanguine transfusam, ad virtutem & præclara facta hominem excitare & impellere. Prius igitur quàm ad ipsum Christianissimum Electorem Christianum veniam, aliqua mihi de majoribus ejus commemoranda esse censeo; ut omnes intelligant, maximos quidem illos & clarissimos vi-



ros fuisse, pulcerrimaq; ipsi exempla ad imitandum domesti-
ca semper extitisse; sed ipsum ita gessisse se, ut non modo
non illis inferior fuerit, verum etiam eos longo intervallo
superarit. Ac mihi quidem ut spero, vos etiam, audito-
res dabitur hanc veniam, ut quoniam ab avis atq; atavis
Saxonica hac domus inclyta semper caelestis atq; divina
fuit, antequam ad hujus Principis laudes & res egregie ge-
stas veniamus, breviter aliquos insignes & pace heroas &
armis ex majoribus ejus commemoremus. Juvabit e-
nim, ut opinor, non mediocriter animos vestros hac prestan-
tium Ducum brevis commemoratio. Juvabit, inquam,
per egregia facta, tanquam per latissimos lucos & amoenis-
sima quaedam vireta transeuntes, ad hanc postea celebra-
torem & parentalia, quasi confectis spacijs devenire, atq; in
ijs tandem jucundè suaviterq; conquiescere. Quamvis
neminem unquam tantâ eloquentiâ fuisse existimem, neq;
tam divino atq; incredibili genere dicendi, qui horum homi-
num virtutes laudesq; non dicam augere, aut exornare ora-
tione, sed percensere numerando posset.

Ut enim ab origine splendorem & claritatem generis
non repetam; quod & longum nimis esset, & nobis id angu-
stia temporis non concederet: quis FRIDERICO Ma-
gnanimo, nomen non absq; re habente, & Dietsmano
fratribus nobilior aut clarior unquam fuit? quis fortior?
quis strenuior? qui soli optimi bellatores, & prestan-
tissimi bellicosissimiq; heroës, pro tuenda hæreditate
& regionum harum possessione, atrocissimi belli aleam,
contra ADOLPHUM Cæsarem subire: & quorum
hoc, qui successu felicissimo sæpè ceciderat, fuderat, fugave-
ratq; hostes, fraude nefariâ interfecto, superstes ille ali-

quoties




quoties victoriâ per conflictus acerrimos potitus, à debita tandem sibi terrarum proprietate externos propulsi & abegit.

Honorum
contentus

Iam verò hunc Patriæ assertorem proximè secutus **FRIDERICUS** Severus Ductor fortissimus, domi forisq; perpetuam sibi gloriam & Scientiâ rei militaris & virtute, & autoritate, & felicitate comparavit. Ad quem post obitum Ludovici, imperij Romani summa, Electorali potestate, præter opinionem devoluta est, quam tamen ille modestè recusando Carolo, qui quartus hoc nomine fuit, deserebat.

Sed omnium Majorum suorum gloriam sine dubitatione **FRIDERICUS**, cognomento Strenuus sive Bellicosus, non solum adæquavit; sed etiam longè superavit, qui rei bellicæ & militiæ laboribus à primis adolescentiæ annis deditus, cum alias res memorabiles gessit, tum pro imperij autoritate contra Bojemorum ferociam, proprijs suis suorumq; sumptibus duxit exercitum, integros annos viginti bellum continuavit, neq; oppugnare prius gentem illam destitit, quàm ejusdem rebellio & contumacia reprimeretur & infringeretur. Quo ipso suam in bellis industriam cum alijs, tum imprimis **SIGISMUNDO** Imperatori ita probavit, ut eum nollet amplius Marchionem tantùm Misniæ esse & appellari, sed mortuo demum **ALBERTO** Electore, tribus competitoribus rejectis, in urbe Constantiâ, Imperij Romani Ensisferum, & legendis Imperatoribus septemvirum, conventu publico, cum summâ virtutum ipsius testificatione, more usitato, solenniter declararet. Quid? quòd non minùs præclarè de literarum & humanitatis studijs meri-

us est:



tus est: quòd dissipatâ intestinis discordijs Academiâ Pragense Anno Christi supra millesimum quadringentesimum nono Feria secunda post primam Dominicam Adventus Domini in hanc urbem Lipsiam ingenti labore, maximisq; sumptibus eam illam transferri fundariq; curavit, privilegijsq; impetratis, & donationibus munificè affectam exornavit, qua quidem Academia, cujus Dei beneficio membra nos sumus universi, Christiana religionis & studiorum doctrina annos amplius jam ducentos sedes est, & esse eam quàm diutissimè deinceps quoq; exoptamus.

Academia
Lipsiensis
initium.

Huic defuncto in gubernatione successit Filius **FRIDERICUS II.** Placidus, quod etiam veluti cognomen tum ipsi tributum fuit, qui cum animi altitudine singularem & raram conjunctam habuisse prudentiam memoratur. Is non minùs quàm pater **FRIDERICUS**, operam dedit, & in hanc curam incubuit, ut quibus fieri posset modis, Christiana religio proveheretur, & Scholæ atq; Ecclesiæ constituerentur. Illud præterea in eo non tantum maximum, sed etiam inauditum planè & admirabile fuit. Controversia ei erat quædam cum Antistite Magdeburgio Friderico, è nobili comitum Beichlingiorum familia nato. Eam ob rem cum bellum ipsi facturus esset, misisse clam scribitur quempiam, qui de apparatu bellico cognosceret, quidq; consiliorum susciperetur, & rerum gereretur, exploraret. Reversus is, qui missus fuerat, ad Electorem, nihil bello oportunum parari renunciat, nec ullum conscribi militem: Antistitem præterea dixisse, commissurum se causam Deo, qui pro se arma sumpturus sit. Quod ubi Elector

B

audi-


*Pietatis
exemplum
illustre.*

audivit: Alius, inquit, insaniat, ut bellum inferat ei, qui Deum se defensorem habiturum confidat, atq; illico ab armis, omni animi offensione deposita discessit. Ex brevi hac historia, quam Tacitus praterire nec potui, nec debui, liquere poterit, quam pijs cordis princeps quamq; divini numinis observans FRIDERICUS II, fuerit; utputa qui Deum veritus, arma deposuit.

Quid hujus Filius ERNESTUS Elector? nonne dignitate similis, rerum insuper experienciâ, sapientiâ, fortitudine, armis, probitate, fortunis, gratiâ, æquè florens, aut par, ac tantum non superior semper habitus fuit? In quo, præter alia, quæ magnificè felicissimèq; gessit, quàm eximium pietatis studium, & quàm flagrans erga res divinas amor ac cupiditas fuerit, vel ex eo apparet, quòd in templo summo urbis Misenæ peculiaribus contributis, & ordinatis redditibus, instituit, ut diebus noctibusq; absq; intermissione, distributis operis caneretur, quòd existimaret, nullum, ne minimum quidem vitæ tempus præterire debere, quo non in memoriam sibi homines revocent ingentia Dei Opt. Maximi in nos collata beneficia, & pro his, maximè pro revelata cœlesti doctrinâ eidem totâ mente gratiam habeant.

Quid autem de FRIDERICO III. commemorem? quanta in hoc virtus, quanta sapientia fuit? nam & paci studuit, & studia amavit, nec historicorum tantum, sed etiam Philosophorum libros legit, & Musicis vehementer delectatus est. Quo regiones has gubernante Evangelicæ lucis flamma è densissimis eruta tenebris, ministerio virorum incomparabilium, LUTHERI,

Philip-



Philippi & aliorum, qui in Academia Vitebergiâ ab hoc ipso principe primùm fundatâ, floruerunt, Ecclesia Christi à sordibus & inquinamentis Papistarum, & ab ominandis erroribus repurgari & defecari, instaurariq; cœpit. Quod beneficium inestimabile satis verbis extollere, celebrareq; nemo potest.

Academia
Viteber-
gia initium.

Non minor virtutis, pietatisq; eminentia fuit in Fratre FRIDERICI JOHANNĒ, principe laudatissimo, veritatis, pacis, sobrietatis, omnis honestatis, & imprimis puræ religionis cupidissimo, quem ob assertam defensamq; anno supra millesimum, quingentesimum trigesimo, in comitijs Augustanis, coram Carolo V. Imperatore & rege Ferdinando, omnibusq; imperij Ordinibus, multis etiam regum exterorum legatis, magno invictiq; animi robore, puram sinceramq; religionem, Constantis nomine jure merito appellare possumus, à cuius religionis, quæ ipsius Dei vox esset, liberâ professione ne transversum quidem unguem cedere voluit, etiamsi harum regionum possessio, opes, potentia, vita deniq; in discrimen vocanda fuisset.

Visi sunt à nonnullis Palimpsesti, in quibus manu suâ sacras conciones integras penè ad verbum exceperat. Atq; memorabile pietatis, & propensi Ecclesiæ juvanda studij in hoc Principe exemplum est, quod de ipso commemoratur, & sic sese habet: In illâ ab hoc Electore Joanne instituta, Ecclesiarum inspectione, quæ proximo anno, post agricolarum tumultum & scditiosas grassationes secuta est, cum ij qui negotio huic expediundo præfæti fuerant, literis supplicibus donationem Ecclesijs factam confirmari petissent, & inter alia literis

Princeps pi-
entissimus.

Tumultus
agrestium.

Cap. 49.
Vers. 23.

dictum inseruissent illud, quod apud Esaiam extat: Reges erunt nutritores tui, & reginae nutrices tuae, optimus hic princeps, eam sententiam, quae tum nondum saepe citata erat, mirifice delectatus, mox sibi locum in Esaiam monstrari iussit, eoque cognito elatus laetitia cupidissime benignissimeque donationem eam confirmavit. O merito jureque concepta gaudia! o veram sanctamque laetitiam! o cupiditatem discendi inauditam & pane incredibilem! o constantiam admirabilem, atque omni laude, praedicatione, literis, nomimentisque decorandam!

Quis jam est, cui ignota sit pietas & animi excelstitas magni illius, qui patris & patris nomina cum ipsorum virtutibus retulit, JOHANNIS FRIDERICI, qui & ipse nullis minis, nullis potentissimorum regum terriculamentis, ne aresto quidem & captivitate satis diuturna, nec gratiam, nec promissis, adduci, permoverique se passus est, ut a religionis veritate & sinceritate, quam adhuc non sine vitae, fortunarumque omnium periculo confessus fuerat, ullam rationem descisceret? adeo ut vel Sol citius a cursu suo dimoveri potuerit, quam ille a confessione veritatis abduci.

Plagij facinus.

De ALBERTO Illustrissimi Ducis Christiani proavo paterno, quem cum fratre ERNESTO Cunradus Kaufungus plagiarium ex editissima arce Aldenburgiam, scilicet admotis rapuerat, quod negata sibi esse stipendia diceret, silere praestat, quam pauca dicere. Inter alias vero virtutes fulgentissimas, quae in hujus principis altissima divinaque mente sunt versatae, optimasque ejus actiones, & res praclarissime gestas, tanti animi cum fuisse constat, ut non modo a majoribus sibi relicta tueri adversus externam vim,

imò

imò forti armorum expeditione amplificare cuperet, sed & apud Belgas, loco Imperatoriæ Majestatis, annos octodecim bella gereret, tum Austriæ fines, & Imperij Romani existimationem ab irruptionibus & injurijs Matthiæ Vngariæ regis mirâ industriâ vindicaret. Quarum rerum summo cum successu confectarum magnitudo fecit, ut augustissimis decoraretur nominibus, à quibusdam dextra manus Imperij Romani, ab alijs Germanicus Achilles, in perpetuam strenuæ virtutis memoriam appellatus.

Ab hoc procreati sunt laudatissimi illi Duces **GEO**RGIVS & **HEN**RICVS, ad quorum illum, qui natus major erat, defuncto Alberto, paternæ gubernationis summa devoluta est: **HEN**RICVS autem Christianissimi nostri principis **CHRISTIAN**IVS, Frisiorum, apud quos Alberto patri pro opera Romanis Imperatoribus strenuè navatâ, loca quædam occupare permissum erat, gubernator factus. Quo quidem tempore parum absuit, quin ab isto populo, jugi Saxonici impatiēte proditus, & sceleratâ fraude circumventus de medio tolleretur. Servatus tamen Patris Alberti tum adhuc superstitis, presidio fuit. Cumq; juvenili esset ætate, & peregrinandi ardore & cupiditate teneretur, iter longinquitate maximum, & periculis plenissimum suscepit, cum alias sub ortum solis regiones, tum Palæstinam totam, & inde sub occasum Hispaniam, usq; ad extremos orbis habitati fines, ubi D. Jacobi sepulcrum conspici perhibent, peragrando. Sciebat enim agnatum hoc non nisi optimæ cuiq; menti. Humiles istæ & plebejæ animæ, domi resident & adfixæ sunt suæ terræ; illa divinior est,

quæ coelum imitatur, & gaudet motu; itaq; sive prisco, sive nostro ævo, peregrinati ferè sunt viri magni. Tandem autem Georgio Fratrem, sine sexus virilis prole mortuo, factum est, ut Henricus universam eam regionem, cujus antea portionem tantum quandam habuerat, iniquâ conditione, de religione pontificiâ in Lutheranam non mutandâ, animosè repudiata, fato quasi quopiam possidendam, occuparet & complecteretur. Fuitq; gubernatio illa Henrici tranquilla & pacata, in qua princeps optimus & cordatissimus in hoc unicè incubuit, omnemq; lapidem movit, ut doctrina Ecclesiastica, quam Pontificiorum quisq; vitijs, scorijs, rubiginibus & erroribus contaminatam & coinquinatam, unâ cum regionum gubernatione acceperat, secundum Confessionis Augustanæ, aliquanto antè Carolo V. Romanorum Imperatori exhibita, prescriptum liberè emendaretur. Quam ad rem tunc accessiti fuerant complures, qui operam suam navare posse sperabantur, tam in Ecclesiasticâ, quam in Scholasticâ doctrinâ, & re legitimè administrandâ. Verùm cum oppidò Senex esset HENRICUS (annum enim sexagesimum vivendo superaverat) idèq; ex hac mortali vitâ ad cælestem, in sedulâ & ardente rominis divini invocatione transferretur, nondum biennio post aditam hæreditario jure, regionum harum gubernationem exacto, negocium illud religionis maximum, cum exordio laudabili inchoatum, sed imperfectum reliquit, absolvendum scilicet ei, ad quem legitima successione jure, gubernatio terræ Misnicæ esset perventura. Superstites autem erant Henrico filij duo, præclara ac rara spei, & indolis planè heroicæ principes, Mauricius & Augustus, fratres ger-

mani,

mani, nati ex Illustrissimi Ducis Meccolopergentis Magni filiâ Catharinâ, principe & heroide pientissimâ & laudatissima.

MAURICIVM electorem serenissimi principis nostri Christiani patrum quis nescit? à quo principe, quicquid hoc loco conspicitur, quicquid in re nostrâ scholasticâ præclarum est, omnem adeo liberalis institutionis & optimarum artium dignitatem, fundatam confirmatamq; habemus.

Quam heroici animi, quamq; veritatis amans *AVGVSTVS* elector nunquam satis celebratus, nostri principis parens, fuerit, orationunculâ suo tempore de eodem habitâ paulò pluribus demonstravimus, quæ ad fastidium usq; hoc loco repetere operæ pretium non est. Sed quamvis etiam nihil aliud in vita memorabile gessisset; tamen vel hac unâ de causâ summopere celebrandus esset; quòd hunc quanti vis præcij filium maximè admirandum ac verè divinum principem, cujus tutelâ presidioq; nostra hæc alma mater Academia, nostra hæc civitas, imò regio hæc universa, tum exteræ etiam nationes & terra, quòad vixit, latissima fructa sunt, per quam feliciter genuerit.

Jam enim ad hujus mihi laudes & facta veniendum, & orationis tela, sicuti cæpta est, porro erit pertexenda, ut quamvis omnes intelligant, ad omnia summa natum principem nostrum fuisse; tamen cogitatione & commemoratione rerum honestissimarum, & omnium voce, literis, prædicatione dignissimarum, paulò solidior ac plenior magnanimo & inchyto Duci Christiano laus tribuatur. Ac mihi quidem, auditores, tantus virtutum splendor,

tantum

tantum lumen, tam immensa claritas, quantum in hoc principe esse conspicio, sic mentis oculos atq; aciem perstringit, ut vix eam satis animo cernere, ne dum verbis eloqui, me posse confidam. Verum, ut solem adversum intueri nequimus; sed ex ejus radijs longè lateq; dispersis, quanta sit ejus amplitudo, quàm immensum lumen, intelligere facile possumus; ita quamvis in fulgentissimis illis virtutibus, quæ in hujus principis altissimâ divinaq; mente versantur, mentis oculos defigere nequeam, tamen ex optimis ejus actionibus, & rebus præclarissimè gestis, quanta sint, quàmq; immensa, me aliquo modo declarare posse, non diffido. Non ita tamen, ut omnes ejus gloriosas actiones enumerem, quod fieri nullo modo potest: sed ut ea summam primò, quæ civilium rerum curam & tractationem complectuntur, persequar; deinde, quæ ad Ecclesiam & Scholas, harumq; commoda & incrementa tota referuntur.

Ac ne multis, & τοῦ μὴ πλεὺς ἐπιπλήρωσι. Unicus erat hic Christianus ex novem filijs Augusti Electoris relictus, summâ spe & animi & ingenij præditus. Eum ergo, ut oculum unicum Saxonici Ducatus, cum puer esset, sapientissimus pater ac mater pietissima, qui præclare intelligebant, quantum à teneris annis intersit, optimis vivendi rationibus assuescere, diligenti curâ & industriâ ad veræ pietatis, moderationis, fortitudinis & sapientiæ cultum traduxere, & tam religiosè sancteq; educavere, ut nihil ei placere posset, quod aliqua ex parte turpe esse videretur: ut ejus pueritia non delitijs atq; indulgentiâ solveretur, sed labore & severitate firmaretur: non in lusibus & jocis, sed in percipiendis inge-

nnis

nuis ac liberalibus disciplinis *tota consumeretur.*

Erat etiam in aetate illa puerili, ut hoc obiter duntaxat addam, maximam corporis dignitate, atque pulchritudine ornatus, quae in adultiori etiam aetate, & per totum vitae suae spacium summam quaedam cum maiestate relucebat. Quam fiebat, ut ejus egregia virtus gratior & jucundior omnibus videretur, ut animi pulchritudo corporis venustati mirè conveniret atque responderet. Natura siquidem conformat membra, pro ut moribus animae convenit; magnisque mentibus domicilia corporum digna metatur; & ut deformitas corporis pleraque, inaequalitatem mentis indicat; turpesque animi turpia corpora incolunt: ita species corporis simulacrum est mentis, figuraque probitatis; & ex vultu hominis ac decore membrorum colligi potest, quantum illo caelestis spiritus intravit, habitator. Sic Alexander Magnus despectus à regina Amazonum traditur, quia non eam pulchritudinem in maximo illo rege reperisset, cuius ingentis rerum gestarum fama rumore percita, ad ipsum venerat. Ut ne quid dicam monstri & deformis hominis occursum olim ominosum habitum fuisse, qui Bruto & Dioni itidemque severo Antonino mortem portendit.

Tradidit Diogenes Babylonius, Leonidam Alexandri Macedonis praectorem cum vitijs quibusdam imbuisse, quae maximum etiam regem ab illa puerili institutione profecuta sunt. Ne quid igitur tale nostro etiam principi usu veniret, viros graves & eruditos, viros integros, & morum comitate ac jucunditate conspicuos parentes adhibuerunt, filioque praefecerunt. Hinc fre-

C

quentibus

Gratior est pulcro veniens è corpore virtus.

Galenus 2. de Temp. cap. 6.

August. d. 41. S. ult.

Anton Panorm. in factet. Alphons. Ambros. 2. de Virgine.

Videatur Panegyricus Constantino dicatus.

Plutarch. in pr. Vitae Dion.

Spart. in Seve.

hoc
per-
rbis
sum
sis,
en,
is il-
naq;
men
ge-
de-
ejus
est:
n &
e ad
enta
erat
s re-
n er-
ffet,
è in-
is vi-
stria
api-
luca-
turpe
dul-
etur:
nge-
nnis

✿✿✿

quentibus quasi stimulus orationis, quamvis sua Sponte satis incitatus esset, & à parentibus, & à præceptoribus, ad exempla majorum suorum imitanda suscitabatur, ut honestatis cursum teneret, & dignitatis atq; gloriæ portum caperet; ut cum nutricis lacte moribus quàm probatissimis imbueretur: ut ne quid cupidè, ne quid impotenter, ne quid improbè committeret.

In tali disciplinâ & exercitatione animi & corporis perseveravit noster Dux Christianus, usq; ad annum ætatis vicesimum primum, Christi verò octogesimum primum supra millesimum, quingentesimum.

Hoc enim anno senatui consilioq; aulico præses à patre datus est, ubi res causasq; communes & privatas ducatus universi cum eximiâ laude & summâ omnium admiratione cognovit & dijudicavit. Ut enim violæ verno tempore mox erumpunt, antequam aliæ flores ex terra nascantur: sic in bonis ingenijs natura ab ipsis cunabulis dare solet indicia excellentis animi futuraq; præstantiæ.

Postquam verò ad exitum vite vocato Patre Augusto, anno Christi millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, gubernationem suscepit, nihil prius, nihil duxit antiquius, quàm quæ ad muniendum principatum necessaria visa sunt, consilio & industriâ singulari comparare. Exaudiebantur enim è propinquo panè belli tumultus & armorum, & erat eorum, suspecta fides, in quibus summa esse debebat, quicq; simulare eorundem conjunctionem & pacem, verè autem bella & cædes meditari videbantur. Ardebat intestino bello universa Gallia, infestabantur Belgæ, nec erat pacata aut tranquilla satis

Sartha-

Sarmatia. Hinc quàm citò exardescere flamma, quàm subito in incendium erumpere, & quasi procellâ quâpiam vel turbine delata in patriam exastuare, aliquidq; mali ex vicino malo redundare posset, Dux sapiens & animosus optimè vidit. Quocirca non modo firmiorem militum manum ac copiosorem aluit, & hac ipsâ suam aulam satis adversus quemcunq; impetum munivit ac sepsit; Verùm alibi etiam, ut plus roboris & firmamenti regio tota haberet, præfides novos in præfecturis constituit, arcibus præsidia passim imposuit, & quicquid ad bellicos usus perducatur universum pertinere visum est, incredibili studio curavit & expedivit. Inter hæc, munimenta quoq; & arces, quibus magis firmata esset hæc regio, & ab hostium insultu oppugnationeq; tutior, partim opere magno restauravit collapsas, partim immensis impensis de integro exstruxit. Quæ omnia non modò fuerunt digna potenti & animoso principe, quòd splendidis ædificijs immortalis fama comparari consueverit: unde Ægypti architecturæ inventorem Vulcanum fuisse perhibent: sed etiam, quæ temporum illorum conditio erat, omnino ad publicæ rei incolumitatem necessaria. Sed nec ea tantum, quæ diximus, huic malo præsidia opposuit; sed etiam finitimos principes ac duces sibi conjunxit, cum his paterna fœdera & amicitiam renovavit, nec quidquam prætermisit, quod domi ac foris principatum consilijs & robore, quoquo modo, stabilire posse videbatur.

Ac quia sapientis & magnanimi principis est, non tam subditis suis & civibus nervos illos gerendarum rerum ostendere; quàm efficere, ut ad externos & potissimè

ad hostes potentia ac fortitudinis ista fama propagetur; ideo, ne quid in hac parte negligeret Dux inclytus CHRISTIANVS, cum essent domi bene constituta omnia, mox ad exteros numerosum & firmum exercitum misit, ad pontificiorum enervanda bella, quibus tum illi, qui reformatam erant amplexi religionem, miserè affligebantur. Tutius esse ratus & satius, in alieno territorio extra suam regionem bellum gerere, quàm domi & in solo proprio cum hoste dimicare. Quod mehercule nemini, qui hujus vetustissima & clarissima familia merita diligentius intueatur, mirum videri potest. Quando enim fuit, cum non solum Imperium Romanum, verùm etiam exteri reges ac principes, & in bellicis rebus atq; arte militari, & in consilijs dandis atq; administratione reipublica, serenissimorum Ducum Saxoniae ope & auxilio non uterentur? Plena sunt omnium voces, pleni libri, plena historia meritorum & rerum gestarum inclytæ domus Saxonicae. Quare facile quivis non iniquus rerum aestimator intelligere potest, semper ceteris familijs stirpem hanc Saxoniam longè prestitisse: quæ non propriam, sed communem Evangelicorum utilitatem perpetuò quaesierit: quæ non tantum patriæ suæ, sed etiam exteris nationibus, quantum fieri posset, prodesse studuerit. Ac si officium piûm facere eos judicamus, qui ad restringendum incendium accurrunt, cum proximus paries ardet: rectum etiam esse fateari necesse est, oppressis & miserè vexatis vicinis presidij & opis aliquid ferre. Cumq; gratia semper pariat gratiam, hoc ipso devinxit sibi principem exterum Christianissimus noster Elector, & obstrinxit, ut si.

mili

mili officiorum genere nec sibi defuturus fuisset, sicubi necessitas fortè exegisset.

Imò verò eâ in re non modò fortis ac pij principis officio functus est Dux noster, dum miseros & oppressos defensitare voluit; sed hoc quoque consecutus est, ut ex eo tempore tam socij, quàm hostes & barbari vim ejus atque animositatem admirari ac vereri inciperent. O perspicacissimum & vigilantissimum, commodiq; ac pacis tam alienæ, quàm propriæ amantissimum & studiosissimum Electorem!

Ego verò, auditores omnium ordinum honoratissimi, quamvis coram intuear hæc lumina atque ornamenta literariæ reipublicæ, quamvis quod mente complector, non satis verbis explicare possim; tamen cum vos tam attentè, tamq; benignè me audiatis, magis etiam accendor ad ea, quæ mihi dicenda supersunt. Neq; vereor, ne oratio mea vobis longior esse videatur; qui præclarè intelligitis, maxime optandum esse, ut ea, quibus ornatissimus fuit principis nostri, sub cujus tutelâ & præsidio vivimus, parens, quam plurima sint. Superest igitur, cum qualem principem respublica habuerit in ea parte, quæ bellicarum & civilium rerum administratione continetur, jam ostenderimus, nempe magnanimum, fortem, sapientem; ut nunc partem gubernationis alteram, quæ ad Scholarum & Ecclesiæ curam pertinet, paucis etiam attingamus. Scholas equidem haud ignoravit dux noster, quasi quædam amœna plantaria esse, Ecclesiæ & reipublicæ, ideoq; ad has ornandas augendasq; non immeritò plurimum studij & operæ contulit. Erant jam antè magnificis sumptibus, disciplinâ ac legibus constituti tres ludi illustres ac provinciales;

quos pietatis & literarum amore fundarat dux inclytus Mauricius; conservarat & auxerat augustissimus Elector Augustus. Hos itaq; ceu praclara quaedam κερμήλια sui principatus, suscepit etiam atq; fovit liberaliter Christianissimus princeps noster Christianus. Qui ut veterem in ijs disciplinam instauraret, delectum praeceptorum, qui pietate & doctrinâ juventutem erudirent, accuratum habuit. Eodem modo affectus erga Academias fuit, qui bus non modo pristinum nitorem, dignitatem atq; auctoritatem restituit, sed etiam in ceteris ita prospexit, ut è pacato ac florenti harum statu singularem voluptatem percipere videretur.

His praclaris meritis in scholas harum regionum & Academias adjunxit deniq; Zelum pietatis singularem in constituenda ornandaq; Ecclesia, in qua Dux laudatissimus verbum Dei sincerum & purum, Sacramentorum usum ab omnibus humanis & pontificijs inquinamentis liberum retineri volebat.

Utq; eò facilius hoc obtineret, maturo quodam consilio praecavere in suo Ducatu dissensiones & conflictiones in religionis negotio conatus est, & ut Ecclesiae statum commodum tranquillumq; haberemus, laboravit: edicto de una docendi verbi divini normâ, vitandisq; criminationibus & condemnationibus inutilibus per universum electoratum publicato, idq; nullo alio consilio, nisi ut & dissidia tollerentur, & in concordiam salutarem animi distracti reducerentur. Neq; enim ignorabat illam D. Basilijs admonitionem, qui commendaturus Ecclesiae doctoribus, concordiam, dixit in qua-

dam

dam Epistolâ, tam esse opus concordia docentibus,
quàm sinistra opus est dextrâ.

Quamvis autem in eo semper fuerint & animi & ingenij celeres quidam motus, qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum uberes, & ad rectè faciendum prompti viderentur, semper tamen in considerandis rebus sacris & tempus, & diligentiam adhibebat, neque unquam extempore de ullâ re spirituali pronunciabat: summamq; consilium, quod ad religionis summam spectabat non præcox, sed maturum oportere esse, censebat. Illud enim præclare intelligebat, sæpenumero fieri solere, ut iudicium festinatione & præcipitantia maxima quæ res evertantur. Ut interim taceam quod Christianissimo isti principi nostro Christiano constitutum fuit, conventum solennem indicere, in quo controversia, quæ præter ipsius voluntatem recens obreptaverant, cognoscerentur & componerentur: quodq; filiorum suorum præceptori, Sebastiano Leonhardo in agone jam constitutus seriò injunxit, ut sobolem suam in Megalothelandri istius Lutheri ritè informaret Catechesi. Imò cum in fervore contentionis exorcisticæ suspicari inciperet, non tam ceremonias in his Ecclesijs usitatas, quàm doctrinam Lutheri peti & depravari, in has dignas Augusti filio voces erupit: Si rescivero, meos autlicos & theologos religionis patritæ mutationem moliri, experientur profectò & sentient me, multò severiorem vindicem, & veritatis defensorem, quàm fuit Augustus parens meus. Quid? quod libellum catecheticum ab autoribus Calvinianis editum, in Gynecæo electorali repertum confestim flammis exurendum suâ ma-

nu de.

nu dedit, severe animadversurus in eum, qui doto malo libellum supposuerat, nisi celeratâ fugâ suâ saluti consulisset. O religionem! ô zelum cum insigni prudentiâ & moderatione conjunctum!

Unde merito crediderim, tanta virtutis insignia, communi gentium consensu huic familia à majoribus nostris fuisse tradita. Præter enim aquilas, leones, gladios &c. quos Saxonice familia decorum & egregium insigne continet, quibusq; hujus familie potentia, robur, dignitas & virtus heroica denotatur; Fridericus Barbarossa Imperator Bernardo, primo Saxonie Electori, è stirpe Anhalidinâ, Alberti Vrsi Brandenburgii filio, anno Christi supra millesimum centesimum octuagesimo in Saxonicum insigne, coronam rutaceam supra trabem nigram in aureo campo gestandam donavit. Quemadmodum enim rutæ peculiaris vis & efficacia, omne venenum prohibendi divinitus insita est; illaq; nusquam frequentius nascitur, quàm ad amenas ficus, vites & salviam, & omnes virulentos vermes & insecta pel- lit; ita dictus Imperator, cum illud insigne tribuendum domui Saxonice esse censuit, aperte declarare voluit, in hac familia semper fore, qui amantissimam ficum cum generosa vite & salviâ salvifici verbi Dei, quod omnia sanat, veram scilicet & sinceram doctrinam cœlestem foveant, & à venenatorum scorpionum & serpentum, hæreticorum inquinamentis & depravationibus tutam, sartam & re- Etam præsent.

Sed heu fallacem hominum spem, fragilemq; fortunam! in ipso vera laudis & glorie cursu, in ipso, inquam, juventutis flore, antequam reformationis istud aggre-

deretur

Sap. 16. v. 12.

Hic ubi ruta
nemus facit,
umbram,
querit in
astu

Religio, &
rutâ tuta
virente vi-
ret.

deretur opus, cum annum primum ac trigefimum age-
ret, summo cum omnium mœrore ac tristitia de repente ex-
tinctus est. Sed tamen bene & feliciter nobiscum actum
est, auditores, quod illustrissimum principem ac Do-
minum, Dominum Fridericum V Vilhelmum, Du-
cem Saxoniae, tutorem & administratorem Electo-
ratus Saxonici, felicissima recordationis, per aliquot an-
nos habuerimus, qui quod Christianus noster proposuit,
opus in effectum deduxit: bene inquam & feliciter nobis-
cum actum est, quod filium Christianum secundum,
tam insignem omni laude principem, tantâ autoritate,
fide, religione prae ditum superstitem relictum, multis
annis felicissimè atq; optimè Ecclesijs sui principatus pro-
spicientem habuerimus; qui opus à parente propositum, à
tutore in effectum deductum feliciter absoluit & ad finem
perduxit, pro quo ipso debentur ijs, quantas animo con-
cipere possumus, maxima, habenturq; meritiò à nobis
gratia.

Inprimis autem tibi, Omnipotens & aeternae DEUS,
quem veneratur religio nostra, quem propter beneficia po-
pulus Christianus optimum, propter vim ac potestatem,
maximum nominat, cuius beneficio, quicquid est in o-
mni rerum universitate boni gignitur, tibi, inquam, gra-
tias agimus, quod per salutaria organa tua, principes
Mauricium, Augustum, & Christianos, imperij
centenviros, pacem nobis & posteris conciliasti, do-
ctrinam celestem suae puritati & nitore restituiisti, & in
hunc usq; diem conservasti. Teq; oramus omnes uno ani-
mo, atq; unâ voce obtestamur, ut generosam rutam stirpis
inclitorum Ducum Saxoniae perpetuò latè crescere & vi-

D

rere

rere cures: & inprimis Principem ac Dominum no-
strum serenissimum, Dn. Johannem Georgium, Du-
cem Saxoniae, Juliae, Cliviae, & Montium &c. Im-
perii Electorem tueris, eundemq; mortem filioli lugen-
tem recrees, & peregre jam absentem salvum & incolu-
mem domum reducas. Lycei nostri sideribus fulgentibus,
generosissimis ac celsissimis principibus ac Dominis, Dn.
Johanni Philippo, Dn. Fridericho, Dn. Johanni
V Vilhelmo, & Dn. Fridericho V Vilhelmo, Duci-
bus Saxoniae, Juliae, Cliviae & Montium, vestigijs
majorum suorum laudabilibus summo studio, contentione
& emulatione insistentibus, gratia & spiritu tuo assiste:
corda deniq; principum Germaniae Evangelicorum
constante amore & fide uni ac copula, ut agnitam & con-
fessam veritatem verbi divini & afflictam Ecclesiam
defendant, quo sub magistratus hujus Christiani regimine
terram nostram gloria Dei incolat, misericordia & ve-
ritas obviam sibi eant, justitia, & pax inter se osculentur,
veritas ex terra oriatur, & justitia e caelo prospiciat: quo
nos hanc lati vitam bene beateq; transigamus, & post
mortem certum ac definitum in caelo locum ha-
beamus, ubi tandem a vo sempiterno
beati perfruamur.

Psal. 85.

D I X I.





Lipſiæ.


Excudebat Valentin. Am Ende.

Anno M. DC. XIII.



MC

no-
Du-
Im-
gen-
colu-
bus,
Dn.
anni
uci-
igys
tione
ſte:
rum
con-
ſiam
mine
ve-
tur,
quò
post



№ 3071 OK

me



ULB Halle

004 479 769

3



1017





quisq; se
do major
Etis ferè
gnum &
sisse, neg
atq; pre
ac gube
sine just
publica
so quoda
dent eni
sapientia
omnia, u
potuit, b
imitari,
ita usden
quasi oes
omne vi
fanda ne
Q
hac indi
& percu
ipsi, sede
atq; par
etiam f
ram mæ
principis
cujus me
roritas,
plura no

multitu-
a illud cun-
quam ma-
ato deces-
oluntate
s clavum
Quare non
viris Res-
immen-
entur. Vi-
vixerunt,
fuerunt o-
quoad fieri
on tantum
visa sint;
o quodam
tur, & in
nt, omnia
debet, si
contristata
homines
, & muri
es omnes
atq; infini-
nim hujus
amur, &
amur au-
a; ut longe
set, bona
polliceri

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

